Digitized by Google

2079
M.6.1 p.801
#
Rivière

802464

VINDICIÆ EDITIONIS S. AUGUSTINI A BENEDICTINIS ADORNATÆ

Adverſus Epiſtolam

ABBATIS GERMANI.

Authore D.B. de Riviere.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

ROMÆ MDCXCIX.
Typis *Jo:* Jacobi Komarek Bohemi
propè SS. Vincentium, & Ana-
ſtaſium in Trivio.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

VINDICIÆ
EDITIONIS S. AUGUSTINI
A
BENEDICTINIS
ADORNATÆ,
Adverſus Epiſtolam Abbatis Germani.

A 94 2079

JAM à priſcis temporibus obſervatum ſæpe fuit, & in dies comperitur, nihil tam probum, & tam innoxium eſſe quin livori pateat, & maledictis. Id videre præſertim eſt in Libello nuper edito, cui titulus: *Epiſtola Abbatis ... ad Benedictinos Congregationis S. Mauri*; Ubi fingitur Germanus eſſe, qui in crimen Janſeniſmi vocat Benedictinos: Et ſatis quidem callidè larvatus ille Germanus, rem eſt aggreſſus, Ut initio pauciſſima latinè ſcripti libelli exemplaria hinc & inde ad

notos ſolum tranſmitteret: atque ita clanculum rem peregit ut ne legendi quidem operis ulli Benedictinorum (ad quos tamen Epiſtola mittitur) copia fuerit. Eo autem conſilio artifex mali Opuſculum Benedictinorum notitiæ ſubduxit, ut nullo dato defenſionis ſpatio, occultè rem ageret, & manum pararet in adverſarios. Ubi vero ſe, & patronos ſibi conciliaſſe, & rem in tuto poſuiſſe putavit, in Gallicum Idioma verſum opus publicare curat, & circumquaque ſpargere. Libellus porro ut pauca crimina complectitur, quorum pars falſa nullaque, cætera nugacia ſunt, ita contumeliis & conviciis pleniſſimus eſt. Videturque Scriptor ille diffiſus cauſæ ſuæ, timuiſſe nè ſi nudam rem poneret, nec maledictis oneraret adverſarios, futile negotium haberetur.

At ne nimium Benedictinos ſortis ſuæ pœniteat, prodeunt fre-

quenter libelli, quibus magni nominis Antiſtites, ac cum primis Archiepiſcopus Pariſienſis pietatis fama conſpicuus, in partem invidiæ vocentur. Imo ne ſacrum quidem Eminentiſſimorum Cardinalium Collegium, ſatis tutum à criminationibus. Hujuſmodi enim Libellorum auctores non Summi Pontificis decreta compeſcunt, quibus edictum fuit, ne cuipiam, niſi aliquam ex damnatis Janſenii propoſitionibus tueatur, crimen inferatur Janſeniſmi. Non Archiepiſcopi Pariſienſis Statuta remorantur, idipſum Eccleſiaſticæ concordiæ cauſa ſancientis. Nullo demum coerceri poſſunt ab injuriâ inferenda. Videnturque curare & æterna odia in Repub. Chriſtiana foveant, ac prohibere nè finem habeant ſemel exortæ controverſiæ.

Jam vero ad rem veniamus. R.R. P.P. Benedictini cum S. Augu-

guſtini opera omnia edenda ; & ad Mſs. fidem caſtiganda ſuſcepiſſent, demum anno 1690. ultimum tomum publicum fecerunt. Editio autem iſthæc quæ publicis votis expetita fuèrat, miro omnium plauſu excepta eſt. Verum elapſis poſt editum opus decem circiter annis, in poſtremum Tomum bellicum canit fucatus ille Abbas, & miris exclamationibus omnes provocat ad ingens quoddam facinus ulciſcendum. *Arbitror inquit è re fore ut omnes Europæ totius nationes, ardenti ſtudio in ejuſmodi cauſam accedant.* Ecqua res tantum urgeat? *Ingens periculum, inquit, adeſt, grave ſcandalum, malum publicum. Cui ſi remedium admovere negligatur, proditur cauſa religionis.* Si ita res ſe habet jure conclamatum eſt ad arma. Sed quid tandem ſceleris, quod atrox flagitium, cui ulciſcendo univerſę Europæ gentes operam dare debeant?

beant?

beant? P. P. Benedictini, ait ille in poſtremo Tomo D. Auguſtini nihil contra Janſenium annotant nullam notam edunt contra Janſenianos, *nullam*, *ne verbum quidem*, proh facinus! quis talem rem ferat? Imo verò, pergit Abbas, haud obſcurè Janſenianis fauent: In quo favent? In notis compluribus ad mentem Janſenii adornatis. Ita ſcilicet eximius Abbas inſolenti ac vehementiſſimo exordio ad ſolitam frigidamque Janſeniſmi accuſationem, quæ in probos Viros vulgo intentari ſolet, viam parat. Verum ubi adverteris quã levibus, quam nullis de cauſis id effutiat jure proferas tritum illud.

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Ad I. Argum.

PRIMA igitur criminatio ea eſt, Benedictinos illam poſtremi tomi editionem, non obſerva-

ſervationibus, non notis in Janſenium conſperſiſſe, ſed intactos præteriiſſe Janſeniſtas, quam ille Sectam in Orbe graſſari comminiſcitur. Ea princeps cauſa irarum eſt, hæc occaſio maledictorum, & contumeliarum ita ut eos *occultatores Myſterii iniquitatis, fautores Heterodoxorum, Janſenii gregales* paſſim nuncupet, ac ſexcentis convitiis ſacrum Monachorum cętum dehoneſtet.

Novum ſanè criminis genus, ut ſi quis v. g. Athanaſium, vel Gregorium Nazianzenum edat, nec notis, obſervationibuſque impugnet Socinianos, Trinitarios, alioſque, qui errores ab iiſdem Patribus confutatos noſtro Ævo excitare ſtudent, ſtatim in crimen ut Socinianus, Trinitariuſque vocetur. Si quis Hieronymum, vel Epiphanium denuò pùblicet, nec controverſias miſceat adversū hęreticos noſtri Ævi, qui priſcas illas hære-

hæreſes, ab iiſdem Patribus confutatas, redintegrarunt; mox ut earum fautor ambulet in jus. Ecquid de Petavio agatur? quid de aliis editionum Auctoribus, qui iſthuc minimè præſtiterunt? Hoc ſanè accuſationis genus primus in Orbem invexit egregius Abbas: hanc ille princeps ſycophantis viam aperuit, ut ſi quam velint editionem Patrum quantumvis accuratam, & inculpatam oppugnare, & nihil aliud carpendum ſuppetat; hoc ſaltem præſto ſit quod objiciatur. *Hic nihil notarum in talem, & talem hæreſim occurrit, & hinc liquet Auctores editionis iiſdem erroribus favere*. Ita ſcilicet ſeſe propinat Abbas doctis & cordatis hominibus deridendum. Nam, ut nemo vel mediocriter peritus ignorat, qui novam editionem parat, id ex officio agit, ut opera emendata caſtigataque publico offerat, varias lectiones ponat, in præfa-

tionibus moneat qua de re agatur, & quid inter edendum acciderit. Si quid amplius præſtat, id arbitratu ſuo agit; ſin omittit, inauditum eſt, ut ideò cauſam dicere cogatur.

Ad hæc vero ſi rerum conditio ſpectetur, ſi argumentum & materia poſtremi tomi operum S. Auguſtini, ſapientiſſimo conſiliò Benedictinos à controverſiis abſtinuiſſe, & à litibus temperaſſe conſpicuum erit; Agitur enim de Prędeſtinatione & de Gratia Chriſti, quæ res ſunt ingentibus difficultatibus plenæ, ac centies agitatæ, etiam inter Catholicos: ut ſi alteri ex Catholicis partibus faveres, ſtatim incurreres in offenſionem alterius: Calviniſtas ſi oppugnares, inutilibus controverſiis præberes anſam. Janſenianos autem ne adorirentur Benedictini, præter allatas, gravis alia cauſa ſuberat: Jam penè extinctum malum erat, nemo unus aliquam ex damnatis

propoſitionibus apertè tuebatur, ac etiamſi decreto regio an. 1668. cautum fuerat, ut ne quis odioſo Sectarii nomine compellaretur, delatores tamen nön pauci probos. Viros Janſeniſtarum nomine exagitabant in dies; & eo uſque malum pervaſit, ut Summus Pontifex Innocentius XII. jam feliciter Eccleſiæ clavum regens, multis ab hinc annis decreto ediceret, ne quis Janſeniſmi accuſaretur, niſi aliquam ex damnatis Janſenii propoſitionibus palam propugnaret, vel defenderet. Quorſum ergo vetera odia repetere, & ſopitam quęſtionem redintegrare? At Germanum Abbatem nihil remorantur Pontificia, Regiaque decreta, ut Summo Pontifice ac Rege perſpicacior Janſeniſticam extare Sectam deprehendit, & tuba canit, ut *univerſas Europæ gentes*, ceu ſomno graves excitet, & inducat ad Janſeniſtarum agmen inſequen-
dum

dum. Nunquam ne tanta temeritas comprimetur? An licebit ſemper cuilibet petulanti homini, decreta publica contemnere, & tranquillitatem Eccleſiæ in diſcrimen vocare? Sapienter ſane Benedictini uti ratio, decorum, ac Regia placita poſtulabant, à controverſiis abſtinent omnino: atque optimo conſilio factum, ut Auguſtini opera emendata, & nullis implicata quæſtionibus prodirent in publicum.

Ad II. Argum.

NUNC ad alias criminationes, quæ in hæc capita diſtribui omnes poſſunt, ſcilicet Benedictinos non indicaſſe loca gratiæ ſufficienti, & libertati faventia, notaſſe vero illa quæ Janſeniſtæ uſurpant, ut huic Sectæ patrocinentur. Hæc mera eſſe commenta ſtatim propalam erit. Ve-

rum

rum advertas velim, quando de notis agit Anonymus, non de explanationibus quibuſdam, vel obſervationibus verba facere, ut notarum nomine vulgo intelligitur; ſed de marginalibus notulis, quibus tantum ſignificatur de hac, de illa re agi. Enimvero ut vanitatem calumniæ, ab exordio intelligas, in fronte poſtremi tomi D. Auguſtini longiſſima extat Præfatio, qua explanantur cum hiſtoria & occaſio ſcribendi cujuſque libri, tum doctrina ejuſdem. In hanc vero præfationem, ne mutire quidem audet Abbas, qui tam nocendi cupido animo omnia luſtravit, quia libera prorſus omni ſuſpitione eſt: in Monita ſimiliter quæ ante initium cujuſque Libri comparent ne γρῦ quidem; in notas, ſeù obſervationes tantundem. Et tamen hi loci erant unde petitam oportuit ſententiam Auctorum editionis S. Auguſtini. Quid quod jam ſub

præ-

prelo ſudat, ut non neſcit Abbas, præfatio generalis ad omnia S. Auguſtini opera? an non expectandum erat, ut ea in lucem prodiret, quo poſſet larvuatus Abbas germanam Benedictinorum ſententiam explorare? At cum ex jam editis pręfationibus probè animadvertat ille nihil ſpei eſſe, ut in præfatione generali aliquid vitii, vel pravæ opinionis deprehendi poſſit, in marginales notulas ſolum debacchatur: ubi id tantum curant Benedictini, ut Lector, quiſquis tandem ſit, ictu oculi quæ notatu digna ſunt, advertat, & non modo quæ uſurpari debeant à Catholicis, verum etiam quę ab Heterodoxis obiici poſſint confeſtim intelligat. Si quidem, ut nemo neſcit, his ſolum de cauſis dantur notulæ marginales.

Verum hoc etiam criminationis genus ab eximio Abbate, jam primum excogitatum eſt, ut

ſini-

ſi nihil pravæ opinionis in præfationibus, monitis, & obſervationibus occurrat, in notis marginalibus quantumvis ad mentem Patrum accommodatis, errores deprehendat. Quod ſi ejuſmodi breviſſimæ notulæ nihil mali præferant, additis commentariis jactitet eſſe ea mente concinnatas, ut tali & tali Sectæ faveatur.

Falſiſſimum autem eſt, quod paſſim in Epiſtola dicit Abbas, Benedictinos ſcilicet non indicaſſe loca libero arbitrio, & gratiæ cui reſiſtitur faventia, nã bene multa, imo innumera hujuſmodi notantur in margine, quorum partem ne pigeat, hic apponere, poſtquam de Gratia ſufficienti, quam item fruſtra queritur non indicatam fuiſſe pauca præmiſerimus.

Gratia igitur ſufficiens, ut paſſim explicat ille, eſt auxilium cuilibet homini etiam infideli datum, quo collato voluntas humana

mana ſe determinat ad agendum ; potens non agere , ita ut nulla alia efficaci Dei motione ad agendum prædeterminetur. Quã Moliniſticã Gratiã nimis temere vocat non ſemel Abbas Gratiã Orthodoxam. Quaſi nimirum inter Orthodoxos numerari non debeant , qui Gratiam ſufficientem eo modo expoſitam non tuentur . Num Heterodoxi Thomiſtæ, aliique omnes,qui ultra Gratiam ſufficientem , quæ præbet poſſe operari , cuique multoties reſiſtitur,aliam tamen ab intrinſeco efficacem , cuique reſiſtitur nunquam ad reipſa operandum requirunt ? Num hæretici ſunt qui illam doctrinam non admittunt , ex qua inferri poſſe putant bonos à malis ſe ſuaque ſola voluntate primum diſcernere. Quis ferat audaciam hujuſmodi? meminiſſe ſaltem debuit larvatus Abbas clariſſimum . & eruditiſſimum Antiſtitem Archiepiſcopum Rhemenſem.

ſem haud ita pridem in quoſdam graviter animadvertiſſe, qui auſi fuerant ſententiam illam Moliniſticam, quaſi unam veram Eccleſiæ doctrinam in Theſibus prædicare. Certè ſi opus ſit ejuſmodi gratiam tueri, ut quis Orthodoxus habeatur, nec Auguſtinus ipſe inter Catholicos annumerabitur, apud quem ne veſtigium quidem illius gratię reperimus. Hanc tamen gratiam Abbas Germanus in marginalibus notis Benedictinorum deſiderari clamitat, quam vel ipſe Molina fatetur fruſtra quæri in operibus Auguſtini.

Quod ſpectat autem liberũ arbitrium, & Gratiam cui reſiſtitur, quæ ſane ab omnibus Orthodoxis admittitur, vide mihi quot marginales notas dederunt Benedictini.

Col. 43. *Dei gratiæ adiungendus noſtræ voluntatis conatus.*

Col.

Col. 54. *In hominibus cauſa eſt, ut non adjuventur à Deo.*

Col. 55. *Qui fiat ut juſtitia, nunc magis, minuſve delectet, nunc non delectet.*

Col. 56. *Liberum arbitrium quod huc atque illuc liberum flectitur.*

Col. 118. *Liberum arbitrium media vis.*

Col. 137. *Non deſerit Deus, niſi dignos deſeri.*

Col. 140. *Deus non deſerit juſtificatos, ſi non deſeratur.*

Col. 143. *Liberum arbitrium non tollitur cum gratia prædicatur.*

Col. 148. *Deus non jubet impoſſibile.*

Col. 173. *Vitæ æternæ merces nulli reddetur, niſi qui ejus in hac vita meritum ſibi comparaverit.*

Col. 176. *Præceptum, liberi arbitrii eſt argumentum, Oratio gratiæ.*

Col. 188. *Adjuvatur nemo, niſi qui & ipſe aliquid agit.*

Col. 208. *Gratia quænam in Ec-*

cleſia

cleſia prædicatur. Ubi Auguſtinus ait: *Gratia quæ ſubminiſtratione Sancti Spiritus datur, ut ad noſtros actus ſingulos adjuvemur*, opportunus locus pro gratia ordinaria.

Col. 413. *Liberum arbitrium non perit Adæ peccato*.

Ibidem *Juliani calumnia de ſublato per peccatum Adæ libero in nobis arbitrio*.

Col. 414. *Concludit non adimere ſe impiis liberum arbitrium*.

Col. 415. *Pelagiani præcipitatores liberi arbitrii*.

Col. 446. *Nihil homini iubetur, quod à Deo non detur*.

Col. 718. *Liberum arbitrium probatur eſſe in homine ex divinis præceptis*.

Col. 784. *Deus dat quod jubet*.

Col. 887. *Sub Deo juſto nemo miſer, niſi mereatur*.

In Indicibus autem hæc inter alia extant, quæ perſpicuè de Gra-

tia

Digitized by Google

tia cui reſiſtitur . intelliguntur.

Nemo in hac vita ſine peccato, etiam per gratiam. Tom.3. in Indice. ad pag. 627.

Gratia aliis eſt aqua contradictionis, aliis aqua ſanctificationis. Tom. 3. in Indice ad pag. 546

Quia non gratis inferretur ſupplicium, ideò gratis præſtitum eſt beneficium. Ad Tom. 4. pag. 28.

In Indice ubi Lovanienſes habent in Textu, *quia ne non gratis*, quod diſparatam, & contradictoriam propoſitionem efficit.

Neceſſaria eſt Gratia adjuvantis, ut impleatur præceptum jubentis. Ad Tom. 4. Col. 731.

Ne dicas, non poſſum tenere & portare & frænare carnem, adjuvaris ut poſſis. Ad Tom.4. Col. 348.

Deus opus ſuum non deſeret, niſi ab opere ſuo deſeratur. Ad Tom.4. Col. 1629.

Ipſe

Ipſe Deus dat vires. ut quod jubet impleri poſſit. ad Tom. 5. Col. 162.

Sic Deus operatur in nobis, ut & nos operemur. Ad Tom. 5. Col. 72.

Qui fecit te, ſine te, non te juſtificabit ſine te: Ad Tom. 5. Col. 815.

IN Indice poſtremi Tomi per multa habes loca pro libertate, aliaque plurima ad marginem & Indicem poſita, quæ conſulto prætermittimus brevitatis cauſa.

Qua fronte igitur Abbas adfirmare audet nulla loca liberum arbitrium, & gratiam cui reſiſtitur ſpectantia in margine, vel Indice notari à Benedictinis? An credibile eſt eum nihil eorum vidiſſe? Sane fieri nequit ut non adverterit, qui tanto ſtudio margines, & Indices D. Auguſtini per Benedictinos editi luſtravit. Ve-

rum

rum ratus nihil periculi eſſe, ut Lectores Libelli ſui tantam fraudem, & tam apertum mendacium ſuſpicarentur, id audacter proferre non dubitavit.

Ex his porro intelliges, quam futiles ſint criminationes Abbatis, cum Benedictinis vitio vertit quod talem & talem locum gratiæ cui reſiſtitur opportunum non indicarint in margine. Nam ut ex ſupra memoratis Locis, & aliis quam plurimis in margine notatis conſpicuum eſt, tantum abeſt ut ab ejuſmodi ſententiis indicandis refugerint Benedictini, ut multo plura etiam quam præcedentes editiones in margine & in Indice notarint. Si qua vero iſtiuſmodi omittunrur in editione Benedictina, id evenit, quod ne eveniat caveri nequit: Quis enim omnia notatu digna in qualibet materia notare valeat? Sane in editione Lovanienſi, quam Anonymus ad ſydera

-dera tollit, & quam fatemur nos quoque laude dignam, pauciſſimas hujuſmodi notulas marginales pro gratia cui reſiſtitur reperias; ita ut vix dimidium attingant earum quæ in Benedictina editione comparent. Et quod jam premonuiſſe juvabit vix aliquod deinceps argumentum in Benedictinos allatum obſervabis, quod non in Lovanienſes validius contorqueri poſſit. Verum in utramque editionem inania tela mittuntur.

Siqua vero notantur gratiam efficacem prædicantia, infinito plura hujuſmodi omittuntur, & notulæ marginales in utramvis partem poſitæ æquè ad commodum Catholicorum cedunt, ut ad uſum Catholicæ doctrinæ, ea ſimul conferendo deducant. Moliniſtis enim peropportunum eſt, non loca ſibi utilia ſolum, ſed etiam adverſa primo intuitu ope notarum advertere, ut omnia ſi poſſint ad Do-

ctri-

ctrinam ſuam transferant. Thomiſtæ item gaudent indicari loca, quæ vel explicent, vel uſurpent. Quod ſi Janſeniſtæ, ſi qui tandem ſunt, vel Calviniſtæ ea ad ſuam detorqueant opinionem, id non eſt ex mente Authorum editionis, quorum officium, ut nemo neſcit, eſt ea ſolum brevibus notulis ſignificare, quæ notatu digna ſunt.

Nullo autem partium ſtudio teneri Benedictinos, vel hinc liquet quod loca etiam quæ Moliniſtis adverſari videntur inobſervata prætereant. In hanc v. g. ſententiam Auguſtini: *Pelagiani dicunt ab homine incipere meritum per liberum arbitrium, cui Deus ſubſeqnens tribuat incremeutum.* Quã Pelagianorum opinionem ex Ambroſio refutat Auguſtinus; Ad marginem ſolum notatur: *Ambroſii teſtimonia de Gratia*, nec vel minimum indicatur ſententia Moliniſtis importuna, quę in Scho-

lis

lis ab adverſariis ſuis impugnari ſolent. Alia ſimilia plurima lubens prætermitto , ne in re leviſſima multus & inſolens ſim.

Sub hæc artificium Benedictinorum aperit Abbas, quo ut Janſeniſtis faveant, imo quaſi *præmonſtrante, ac docente Janſenio*, loca quadam quibus ſtatuitur Chriſtum velle ſalutem aliorum hominum, quam eorum qui ſalvi fiunt, nullis marginalibus notis indicata, callidè prætermittunt. Octo autem dumtaxat loca hujuſmodi adfert, ex omnibus Auguſtini operibus collecta. At etiamſi verum eſſet hæc pauca loca non indicari in margine à Benedictinis, ridiculum prorſus foret, id eis vitio verti; cum jam luce clarius commonſtratum ſit eos nullo modo à talibus locis in margine indicandis abſtinuiſſe. Verum hic apertè videas ſola fraude & mendacio niti totam Abbatis criminationem, ex

his quippe octo locis, quatuor quę petita ſunt ex poſtremo tomo operum D. Auguſtini ſuas habent notulas marginales, eaſdē fere quas Lovanienſes dederunt, qui proinde in cauſam veniant oportet. Taleſque ſunt hujuſmodi notæ, ut nemo quantumvis Moliniſticæ doctrinæ ſtudioſus jure poſſit aliquid in eis arguere.

Primus locus eſt de Spiritu, & Littera cap. 33. *Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo bene, vel male utentes juſtiſſimè judicentur. Quod cum ſit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; Nec ideo tamen illam vincunt, verum ſe ipſos fraudant magno & ſummo bono maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis, poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſe-*

ptru.

runt. Hoc in loco, cujus minimam partem adfert Abbas, agitat Auguſtinus difficillimam omnium quæſtionem de vocatione infidelium ac primo ſtatuit voluntatem credendi eſſe donum Dei. Sed objicit ſibi, qui damnari juſtè poterunt infideles, qui hoc donum neceſſarium ad credendum non acceperunt: reſpondet liberum arbitrium ipſis adeſſe. *Prius igitur illud dicamus & videamus utrum huic ſatisfaciat quæſtioni quod liberum arbitrium naturaliter attributum à Creatore animæ rationali, illa media vis eſt, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt*: & poſt quatuor lineas ſequitur locus ab Abbate allatus. Ibi autem probe notant Benedictini: *liberum arbitrium media vis*. Si quid in hoc, & in ſequenti capite D. Auguſtini habeatur, quod libertati faveat, illud maximè eſt quod fert nota

 margi-

marginalis, *liberum arbitrium media vis*. * Lovanienſes autem ad hunc Auguſtini locum hanc marginalem notam habent: *Voluntas credendi à quo*, quæ minus favet libertati quam nota Benedictinorum. Nam ibidem ait Auguſtinus voluntatem credendi à Deo eſſe. Secundus locus, quem fruſtra decantat Abbas non indicatum fuiſſe, exſtat libro ſexto contra Julianum cap. 4. *Ac per hoc unus pro omnibus mortuus eſt &c.* & has apud Lovanienſes, & apud Benedictinos habet notas marginales. *Tractat locum Apoſtoli ad Rom. 5.* & paucis poſt lineis. *Non eſt pro iis mortuus Chriſtus qui nullum habuerunt omnino peccatum.* quo apertè ſignificatur Chriſtum pro omnibus omnino mortuum eſſe: ac proinde vides non hic deſiderari notas Benedictinorum, ſed deſide-

* Vide edit. Lovanienſem anno 1576. Antuerpiæ.

deſiderari de more bonam fidem Abbatis: quem planè demiror ita improvidum fuiſſe, ùt ſperarit indigniſſimam fraudem non deventuram ad notitiam eruditorum. Tertius locus eſt lib. 2. operis imperfecti num. 175. *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt . . . , propterea pro omnibus mortuus eſt, quia omnes mortui ſunt.* Hoc loco agit Auguſtinus contra Julianum, qui pugnabat infantes & parvulos non eſſe mortuos in Adamo; hanc unicam tractat quæſtionem Auguſtinus, & ubi rem agere incipit, notant Benedictini ad marginem. *Parvulos quoque peccato mori in Baptiſmo & vivificari.* Verum nihil curat Abbas bene an male, jure an injuria loca hujuſmodi congerat: vult criminari quoquomodo: & quia nihil eſt quod obiiciatur cauſas comminiſcatur oportet. Etenim eum qui ſemel verecundiæ leges

tranſierit oportet bene & nauiter impudentem eſſe. Ad quartum autem locum, vide quam apertè ſycophantæ partes agat Anonymus lib, 6. 2. de peccat. meritis, & remiſſ. cap. 17. ait Auguſtinus: *Cum ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit, poſſem facillime ac veriſſime reſpondere, quia homines nolunt*. In hunc locum queritur audacter Abbas nihil in margine notari à Benedictinis: Ubi tamen occurrunt tres marginales notæ, quarum priores duæ in Lovanienſi editione itidem exſtant ſcilicet. *Cur nemo ſit in hac vita ſine peccato*: & paulo poſt. *Peccati cauſa duæ, ignorantia, & infirmitas*. Tertia marginalis nota in ſola Benedictina editione comparet, & paucis poſt lineis ſita eſt, nempè, *In hominibus cauſa eſt, ut non adjuventur à Deo*. Hæc quidem nota oportunior eſt ad Gratiam cui reſiſtitur indicandam, quam ipſe Augu-

guſtini locus ab Anonymo allatus; Itaque ſi quid valeret mendaciſſima criminatio, in ſolam caderet Lovanienſem editionem, quæ tertiam marginalem notam non habet. Sic imprudens Abbas in amicos Lovanienſes, & in adverſarios Benedictinos indiſcriminatim tela mittit, & nonnunquam illæſis adverſariis, ſolos Lovanienſes, quos ipſe falſo jactitat commilitones ſuos eſſe, fruſtra impetit, & confodere conatur.

Quatuor vero loca ſubſequentia ab Anonymo allata, quorum duo ex commentariis in Pſalmos, alius ex lib. 20. de Civ. Dei, alius ex tract. 4. in Joan. neque apud Lovanienſes, neque apud Benedictinos habent notulas marginales: quia in jis libris quæ certa capita cum argumentis habent; vel quibus Scripturæ Sacræ libri explanantur, pauciſſima annotare ſolent utrique. Nam putant ſatis

 indi-

indicij, tum ex argumentis tum ex ipſis Sacræ Scripturæ verſiculis adferri. Piget in tricis hujusmodi Lectorem diutius detinere.

Sed mirum quantum debacchatur Anonymus in Benedictinos, ubi ad hunc locum Auguſtini de corrept. & grat. cap. 14. *& quod ſcriptum eſt, quod vult omnes homines ſalvòs fieri, nec tamen omnes ſalvi fiunt, multis quidem modis intelligi poteſt: ex quibus in alijs opuſculis noſtris, aliquos commemoravimus.* in hæc verba *in aliis opuſculis noſtris*, notant ad marginem Benedigctini. *Enchiridion. cap.* 103. *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 1. 2. *& ſupra lib.* 4. *ad Julianum cap.* 8. Adeo-ne exclamat fucatus Abbas, vobis placuit interpretatio S. Auguſtini qua vocem *omnes* de ſolis prædeſtinatis intelligit, ut etiam ad alia hujusmodi loca Lectorem remittatis & ut *prodigioſum* numerum locorum

rum hujuſmodi in alijs Auguſtini operibus indicetis? Nemo non miretur pruriginem criminandi ad tantas nugas efferendas compuliſſe hominem. An poterant Benedictini, ubi Auguſtinus ait ſe in alijs opuſculis idipſum tractaſſe, non indicare quænam iſthæc opuſcula eſſent? & verò in citatis locis Auguſtinus rem multis modis explicat, ut ipſe in clauſula mox allata commemorat. Riſu porro excipiendum eſt quod ibidem jactitat Anonymus, *prodigioſum* eſſe numerum locorum Auguſtini, ubi in margine ad alia ſimilia loca remittunt Benedictini, ut faveant Janſenio, qui pariter vocem *omnes* de ſolis prædeſtinatis intelligit. Nam hic etiam mireris Abbatis noſtri perſpicacitatem, qui ut Benedictinos lædat nihil reformidat ipſum Auguſtinum in cauſam vocare. Si enim *prodigioſum* numerum locorum obſervant Benedicti-

dictini, quibus Sanctus Doctor eam ſententiam tuetur, hinc conſequitur eſſe apud Auguſtinum *prodigioſum* numerum locorum quibus ipſe ſtatuit Deum velle ſalutem ſolorum prædeſtinatorum, atque ita S. Auguſtinus ipſe ejuſdē Hæreſeos author habebitur. Verum haud difficile eſt & S. Auguſtinum & Benedictinos ab impudentiſſima accuſatione purgare: nam ſi quis ea loca adeat quæ larvatus Abbas peſſima fide de more in medium attulit, ſtatim advertet in iis plerumque Auguſtinum vocem *omnes* de ſolis quidem prædeſtinatis intelligere; ſed explicando nonnulla S. Scripturæ loca, ubi dicitur omnes in Chriſto ſalutem conſequi. Quæ ſententiæ novi Teſtamenti dè ſolis prædeſtinatis, intelligi commodé poſſunt: atque inde explicatur probe illa alia ſententia Auguſtini qua dicit locum Apoſtoli

Deus

Deus vult omnes homines ſalvos fieri, intelligi dè ſolis prædeſtinatis. Ex alijs enim locis per Benedictinos citatis, conficitur illam ſententiam Auguſtini explicari debere de ijs ſolum quos efficaci decreto vult Deus ſalvos fieri. Dum autem ait Abbas *prodigioſum* eſſe numerum locorum hujuſmodi, de more mentitur: nam etſi tanto ſtudio margines Benedictinorum perluſtrarit, quinque ſolum ſexvè notulas hujuſmodi proferre potuit; Imo eaſdem ipſas aliquoties repetit, ut numerum adaugeat. Quod etiamſi in his locis idipſum quod vult Abbas diceret Auguſtinus, quid peccaſſent Benedictini, monendo ad marginem *ſimile habes lib. tali & tali*? Quis enim neſciat id eorum officium eſſe qui editiones parant, ut ſi quando varijs in locis ſimile proferat Author, id moneant? & ſane idipſum præſtant Lovanienſes, & in locis quæ

grati-

gratiam, & in ijs quæ aliud argumentum ſpectant.

Sed vide mihi quæſo, qua fide, quo jure Benedictinos exagitet Abbas, dum ait eos datis innumeris notis marginalibus ad opuſcula quædam S. Proſperi, quæ ad calcem poſtremi Tomi D. Auguſtini poſita ſunt, cum primum perveniunt ad capitula calumniantium Gallorum, & objectionum Vincentianarum, derepente gradum ſiſtere, neque ullas ulterius notas marginales dare; idque animo declinandi à duobus Proſperi locis, quorum prior ad nonam objectionem Gallorum talis eſt. *Dedit pro mundo ſanguinem ſuum, & mundus redimi noluit.* Alter ad objectionem ſecundam Vincentianam; *Sinceriſſime credendum atque profitendum eſt, Deum velle ut omnes homines ſalvi fiant.* Cujus nefandi ſceleris occaſione ait Anonymus Benedicti-

nos

nos Auguſtinum hæreticorum nutui, ac voluntati nec occultè tradidiſſe. Sane actum eſt de Reipublicæ Chriſtianæ pace, ſi cuilibet temerario homini liceat commentitia crimina quantumvis atrocia offerre, ac inſontes innoxiosque ut hæreticorum fautores traducere. Ut autem confeſtim intelligas veteratoris artificium atque fraudem, obſecro libros Proſperi adeas Lector Erudite, ad calcem operum Auguſtini, ut videas ideò in memoratis ab Anonymo libris non haberi marginales notas, quia conſtant frequentiſſimis objectionibus, & reſponſionibus: ita ut objectiones quæ perbreves ſunt, ac ſemper à linea ponuntur, charactere ut vocant *Jtalico* jaceant: reſponſiones vero charactere, ut vulgo aiunt, *Romano*. Cum autem objectiones ſatis indicii de quibus rebus agitur adferant, inutile prorſus eſſet idipſum ad

mar-

marginem repetere. Quare non in Benedictina modo, verum etiam in alijs editionibus hic abſunt marginales notæ; atque ita ruit tota Abbatis Germani calumnia.

Ad III. Argum.

AT quo non prorumpa maledicentia, animuſque lædendi. *haud ita inquit Lovanienſes: ij Catholici erant, Calvinianamque doctrinam horrebant; quæ cauſa fuit ut & in marginalibus notis, & in Jndice ſubinde contra dogmata Calvini loquantur. Hic videas Jeſum Chriſtum immolari pro nobis in Sacramento; iſtic ipſos impios Chriſti corpus ſumere: modo poſſe invocari Sanctos, mox ſacrificium Miſſæ defunctis eſſe utile; explicationes Calvini, quas erroris ſui gratia quibuſdam Auguſtini locis adaptabant, propulſant, & enervant; in nota vero ſua, ad ad locum Auguſtini explicantis illud Apoſtoli: omnes homines vult ſalvos* fie-

fieri, ſe minime Calviniſtas eſſe comprobant. O felicem Eccleſiam ſi damnato Janſenio, Editores operum Auguſtini, eadem qua antiqui Lovanienſes Doctores, mente, atque ſententia præditos inveniſſet? Quorſum hæc, niſi ut Benedictinos in Calviniſmi ſuſpicionem vocet? Annon crederes his perlectis, Benedictinos nullam hujuſmodi marginalem notam nihil tale in indice dediſſe? licet etiamſi non dediſſent, ut moderate at pedetentim in tanto crimine inferendo procedendum eſt, minime debuiſſent Calviniſmi fautoribus annumerari. Verum has omnes notas dederunt, imo etiam multo plures, quæ concinniori ordine & in margine & in alphabetico indice diſpoſitæ ſunt. Certe tam effrænem libidinem calumniandi, & atrociora quæque quantumvis falſa ſacro Religioſorum cœtui adſcribendi publica authoritate plecti oportere

tere nemo cordatus non arbitretur, ut tandem compeſcantur temerarij homines, qui Eccleſiaſticam pacem miſcere curant & labefactare. Verum fortaſſe dicet Abbas, ſe verba ſuperius allata ea ſolum mente protuliſſe, ut ſignificaret Benedictinos eodem modo contra Janſenianos agere debuiſſe, quo Lovanienſes contra Calviniſtas. At quæ ſimilitudo? Calviniſtæ contra Eccleſiam arma palam ſumſerant, ab ejus communione, ſeſe, ſuopte motu, & arbitrio ſegregaverant, atque ſectam peculiarem hæreticorum conſtituebant. Janſenianorum vero ne unus quidem comparebat: decretis ſummorum Pontificum contra quinque Janſenij propoſitiones acquieverant univerſi; vetabat Regium edictum ul-

lam

lam ea de cauſa moveri litem; annon imprudenter egiſſent Benedictini, ſi ſopitam controverſiam denuo excitaſſent, & Regia placita contemſiſſent, quæ temerario auſu jam Abbas violare nihil veretur?

Ad IV. Argumentum.

HIC quæſo perpendas quanto conatu, quanta commenta venditet Abbas. eſt locus Auguſtini de correp. & grat. cap. 7. *quoniam poteſt dici, homo in eo Quod audieras, & tenueras in eo, perſeverares ſi velles: nullo autem modo dici poteſt: id quod non audieras crederes ſi velles.* Ubi ad imum paginæ optime notatur: *ſi velles, id eſt; ſi eadem voluntas maneret, ut dicit infra* (*Auguſtinus*) *num.* 17. *ſeu niſi mala voluntate relinqueres id quod tenebas.* Nemo probus in hujus-

hujuſmodi explicatione quidpiam querela dignum advertat. verum exclamat ille, notam eſſe omnium notarum nequiſſimam, ab Arnaldo petitam, quam ne Janſenius quidem auſus eſſet afferre, & maledicta de more congerit. Ait autem notam illam, ſi primo intuitu conſideretur, nugatoriam eſſe, deinde enervare Auguſtini antitheſim. nam ubi S. Doctor ait, poſſe dici homini Chriſtiano, qui fidem edoctus eſt, & bonum tenet, *perſeverares ſi velles*, non poſſe autem dici ei qui necdum de fide audivit, *crederes ſi velles*, ea antitheſi ſignificat, ei qui in bono verſatur auxilium Dei adeſſe, quo perſeveret ſi velit; non item ei qui nihil de fide audivit adeſſe poteſtatem credendi. Hanc vero Auguſtini ſententiam labefactari ait per memoratam Benedictinorum notam, & vehementiſſime declamat in tantum

faci-

facinus. Ego vero neminem puto tam lynceum qui poſſit intelligere qua ratione nota hujuſmodi petita ex ipſo Auguſtino, non ex Arnaldo: *ſi eadem voluntas maneret*, vel ſubſequens, *niſi mala voluntate relinqueres id quod tenebas*, impugnet auxilium Dei ordinarium, quod probis ad perſeverandum datur. Jmo vero pars ſecunda notæ diſerte ait, perſeveraturos, niſi mala voluntate relinquerent, id quod tenebant; quæ in illam ſententiam recidit. *Deus non deſerit, ſi non deſeratur*, & aperte favet libertati. At perſpicaciores alijs ſunt, qui livore & odio ducuntur, ut ea perſæpe videant quæ nunquam exſtiterunt. Nugatoria autem, vel inutilis dici nequit hujuſmodi annotatio: nam ſi quis v. g, ad hæc Auguſtini verba, *perſeverares ſi velles*, ex animo respondeat. *volo*, non ideo perſeverantiam obtinet: non ſufficit

enim

enim velle ſemel, aut pluries, niſi in eadem voluntate ad finẽ uſque permaneatur, nec deſeratur quod ſemel obtentum eſt. quod quidem, ut ait Auguſtinus, peculiare Dei donum eſt. Hæc ſane nota, *Si eadem voluntas maneret, ſeù niſi mala voluntate relinqueres id quod tenebas*, in quam lymphato ſimilis Abbas debacchatur tantũ abeſt ut plus æquo gratiæ tribuat; ut etiam nimium voluntati dare videatur. Nam ſi non aliunde explorata eſſet ſana Benedictinorum doctrina, minus inepte diceretur eam notam favere Pelagianiſmo, quippe quæ voluntati ſolum perſeverantiam adſcribere videatur; quam Janſeniſmo: quia tantum abeſt ut auxilio Dei tribuat pluſquam oportet, ut ne verbum quidem habeat de auxilio Dei ad perſeverandum neceſſario.

Ad

Ad V. Argum.

NUNC ad validiſſimum omnium, ut ait Anonymus, contra Benedictinos argumentum properemus: in Monito quodam eorumdem in fronte libri de Corrept. & grat. legitur. *Univerſam divinæ gratiæ OEconomiam oculis ſubjicit idem liber*. Hic ille argutatur egregie: Cum unus dumtaxat locus in hoc libro compareat de gratia ſufficienti, quem vos nota veſtra ſupra memorata ad illud, *perſeverares ſi velles*, labefactaſtis; jam reſtat vos qui dicitis totam gratiæ OEconomiam hoc in libro exſtare, negata ſufficienti, efficacem gratiam ſolum admittere. Non labefactaſſe Benedictinos eum luce clarius commonſtratum eſt. Hæc vero ſententia contra quam deblaterat Abbas, non Benedictinorum, ſed Eminentiſſimi Cardi-

nalis

nalis Noriſii eſt , ut ibidem notatur , in quem proinde cadit inutile telum. Ecce locum integrum Moniti . *Univerſam divinæ gratiæ œconomiam oculis ſubjicit idem liber , ut loquitur Hiſtoriæ Pelagianæ Scriptor Clariſſimus Noriſius , qui eum appellat Clavem , qua ad univerſam Auguſtini de divina gratia, & libero arbitrio doctrinam aditus aperitur* . Itaque ſi Eminentiſſimus Cardinalis Noriſius locum ſuperius memoratum, *perſeverares ſi velles* , non intelligat de Gratia ſufficienti , cauſam dicere cogetur à temerario Abbate ; qui non potuit talem ſententiam in medium afferre , niſi ut de induſtria dicam impingeret tanto viro: Atqui nec ipſe Eminentiſſimus Noriſius , neque Thomiſtæ hunc locum , umquam pro Gratia ſufficienti afferenda attulerunt , atque adeo Janſeniſmi labem incurrerint neceſſe eſt , Verũ non eſt quod inani

ni objectioni propulſandæ immoremur. Nemo enim prudens qui librum legerit, non æſtimabit rectiſſimum ab Eminentiſs. Noriſio de hoc Auguſtini libro ferri judicium. Sane S. Proſper hunc librum vocat, *plenum divinæ auctoritatis quia univerſis quæſtionibus de quibus conſulendus erat Auguſtinus, plene illic, abſoluteq; reſponſum eſt.*

Ad VI. Argum.

PERGIT Anonymus, & convitiis exagitat Benedictinos, quia ad hunc locum de natura, & gratia contra Pelagium. cap. 26. *Deus .... juſtificat impium, & cum ad perfectam ſanitatem, hoc eſt ad perfectam vitam, juſtitiamq; perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, ut pie ſemper juſteque vivatur.* Ad marginem legitur. *Deus non deſerit juſtificatum, ſi non deſeratur. Vide lib.* 2. *de*

pec-

peccat. meritis , & remiß. Ait enim Abbas: Remittitis ad locum de peccatorum meritis, ubi agitur de gratia efficaci, ut hinc liqueat vos reſpuere gratiam ſufficientem, quæ hoc loco probe aſſeritur. Vix eſt quod propulſetur tam futilis argutatio: ſed ut paucis rem complectar, etiamſi in loco ad marginem citato de gratia efficaci ageret Auguſtinus, quid mali admiſiſſent Benedictini? Nam cum de vero hujus loci ſenſu, *Deus non deſerit, ſi non deſeratur*, digladientur cum Thomiſtis Moliniſtę, probe factum Thomiſtæ putent, ſi alia loca quibus ſeſe tueantur indicentur. Moliniſtæ ſimiliter pergratum habere debent, ſi loca à quibus ſibi caveant annotentur. Verum hic item Abbas conſueta fraude utitur, neque finem mentiendi facit. In citato quippe loco, aliud agitur: neque vero remittitur Lector ad eum locum horum cauſa,

ſa, *Deus non deſerit, ſi non deſeratur*, niſi; conjungantur cum præcedentibus, & ſubſequentibus hoc pacto; *Et cum ad perfectam juſtitiam perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, ut pie ſemper juſteque vivatur.* Nam in eo loco, de Peccatorum meritis& remiſſione, agitur ſolummodo, an quis poſſit ſervare perfectionem, & ſi poſſit an integram, vel ſecundum quid; atque ita ruit dolo concinnatum egregii Abbatis argumentum.

Ad VII. & VIII. Argum.

INdicia porro Janſeniſmi apertiſſima ſe deprehendiſſe putat, quia ad marginem hujus loci de Gratia Chriſti contra Pelagium cap. 35. Ubi Sanctus doctor, Gratiam Chriſti cum gratia Pelagii comparando, ait eſſe, *aliquod adjutorium bene agendi, adjunctum naturæ, atque doctrinæ per inſpira-*

tionem flagrantiſſimæ, & lumino-ſiſſimæ Charitatis, annotant Benedictini ad marginem, *Gratiæ Chriſti definitio*: Et ſimiliter argutatur in aliam marginalem notam ad hunc locum de Corrept. & grat. cap. 2. *Intelligenda eſt Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qua ſola homines liberantur à malo, & ſine qua nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo & amando, ſive agendo faciunt bonum*. Ubi legitur ad marginem, *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum quænam ſit*. Ait igitur Abbas: Hic de gratia ſolũ vocationis, & de gratia efficaci eſt quæſtio; & notæ marginales Benedictinorum, indicant gratiam in genere, ut ſignificent eſſe ſolum gratiam efficacem, & nullam cui reſiſtatur, quo pateat ipſos eſſe & Arnaldo, & Janſenio addictos. Sic ille qui mirum quanta perſpicacitate mentes hominum animoſque pervadat.

Verum nugaciſſima criminatio. Nam propalam omnibus eſt, & Benedictinos & Lovanienſes qui, ut mox commonſtratur, eadem ratione non ſemel notant; gratiæ nomen ſine adjecto, & nulla data diſtinctione, ut Auguſtinus habet, apponere, nec aliam quam de qua Auguſtinus agit gratiam in marginalibus notis indicare. Quod ut exemplo perſpicuum ſit, ad hunc locum Auguſtini de geſtis Pelagii cap. 14. *Gratiam . . . quæ ſubminiſtratione Sancti Spiritus datur, ut ad noſtros actus ſingulos adiuvemur*. Qui locus de gratia cui reſiſtitur, quam vulgo vocant ordinariam, recte intelligitur, ad marginem legis, *Gratia quænam in Eccleſia prædicetur*, nulla appoſita diſtinctione: quo videas nullo diſcrimine & hæc & alia loca a Benedictinis indicari; & gratiæ nomen ſimpliciter ut apud Auguſtinum jacet efferri. Verum hic

notandi modus non eſt ad mentem & ad nutum præclari Abbatis concinnatus, qui niſi frequentes in margine gratiæ ſufficientis, & efficacis diſtinctiones videat, temperare nequit à maledictis & editionis Authores hæreſeos accuſat, quia ignotas Auguſtino voces in margine non ponunt. Lepida ſane res fuiſſet, ſi marginales notas hac ratione adornaſſent Benedictini: *Gratiæ Chriſti efficacis definitio. Gratia Dei efficax per Jeſum Chriſtum quænam ſit. Gratia ſufficiens quænam in Eccleſia prædicetur.* An non quivis ſanæ mentis homo, jure Benedictinos coarguiſſet ſi uſi eſſent tali notandi genere? Annon merito dixiſſet: Notę marginales ea de cauſa dantur, ut indicia ſint eorum, quæ in Authoris ſerie ex ſtant, cur ergo in margine notatis diſtinctiones in Textu non ſitas? Veſtrum munus eſt ſolum indicare ſententias ut ſunt: tum ſi quis ſen-

tentiis Auguſtini opus habeant, ji diſtinctiones arbitrio ſuo dabunt. At non videt Abbas, vel ſe non videre diſſimulat eam ipſam criminationem in Lovanienſes pariter cadere: Non paucas enim & illi hujuſmodi dedere notas, nec umquam adhibet diſtinctioues gratiæ ſufficientis, & efficacis, ſic de Correptione & gratia cap. 11. ad marginem notant illi: *Diſtinctio gratiæ ante & poſt lapſum datæ*, ubi Auguſtinus comparat Adami gratiam cum ea quæ Sanctis datur. Et contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 2. ad hæc: *Sed dicimus lege fieri, ut Deus quid fieri velit audiatur, gratia vero fieri ut legi obediatur*, notant in margine, *Catholica de lege & gratia ſententia*. Et libro de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 5. *Gratia Dei ea propria eſt quæ bonos à malis diſcernit*. Quare non in Lovanienſes debacchatur Abbas, ut in Bene-

dictinos, quando, & illi parem criminandi anſam dederunt? Hic enim vides nomen gratiæ ſine adiecto & diſtinctione poſitum, ubi tamen agitur, ut liquidum eſt, de gratia efficaci. Sane Lovanienſes quoque ut hæreſeos maculam devitarent in locis ſupra allatis hujuſmodi marginales notas dare debuerunt. *Diſtinctio gratiæ ſufficientis ante lapſum, & efficacis poſt lapſum datæ. Catholica lege, & gratia efficaci ſententia. Gratia Dei efficax, ea propria eſt, quæ bonos à malis diſcernit.* Verũ eſtimo neminem cordatũ nugaciſſimas Abbatis egregii declamationes, & accuſationes, ſine faſtidio legere poſſe, ſunt enim hæc omnia ἀπροσδιόνυσα

Ad IX. Argum.

NOVAM poſt ea Benedictinorum technam, qua Janſenio faveant, aperit acutiſſimus Ab-

Abbas, quia ſcilicet ad locum Auguſtini dificillimũ l. 2. de Peccat. meritis, & remiſſ. cap. 18. ad marginem legitur: *Gratia Dei cur non omnibus, vel non ſemper Sanctis datur.* Ardenſque clamitat: An talem locum indicatum oportuit, cum maxime non jiſdem verbis utatur S. Doctor, & eodem loco abutantur heterodoxi? Sed quæſo an probe occultatum Auguſtini locum eſtimes, ſi nihil in margine notetur? Annon notus omnibus centieſque agitatus fuit? quod autem non jiſdem verbis res jaceat in Auguſtini ſerie quibus utuntur ad marginem Benedictini: ita ſâne eſt. Sed multum difficilior explicatu eſt Auguſtini locus, quam in margine præferatur. Marginali notæ adhiberi facile poteſt diſtinctio gratiæ cui reſiſtitur, & cui non reſiſtitur. Verum Auguſtinus, ut legenti patebit, cum dicat, & repetat, Sanctis aliquando negari

lucem, vel certam ſcientiam, & delectationem, ſive ſuavitatem, quibus tamen partibus conſtat omnis gratia actualis plus negotii faceſſit. Scio tamen, & probe explicari Auguſtini locum, & nullam hinc heterodoxis ſuppetere ſuæ doctrinæ tuendæ materiam. Quod ſi nulla, vel in hanc, vel in alias, Auguſtini difficiles ſententias, à Benedictinis controverſia moveatur, aut explicatio adhibeatur, quæ inde quærelarum cauſa, cum id minime exigi debeat ab authoribus editionis cujuslibet? Atque hic, & ſuperius probatum eſt, multa ſunt quæ ſecus agere ſuadeant, tum quia adeo difficilis res eſt, ut ne quidem inter Catholicos ſatis conveniat quo pacto iſthæc ſint explicanda, tum quia è re non erat præteritarum controverſiarum memoriam refricare. Nota vero marginalis ſupra memorata in Catholicorum commodum cedit, ut ſi cui
in-

incumbat tam difficilem rem explicare, uno intuitu poſſit advertere ubinam explicatu opus ſit. Pari modo reſpondetur pro alia nota ubi legis lib. 2. de peccat. meritis, & remiſſ. cap. 18. *Graia aliis ex miſericordia, aliis ex veritate non datur*: quæ verba quoad ſententiam ab Auguſtino ibidem dicuntur ac repetuntur. Sed nugatur egregie Abbas in aliam marginalem notam, quæ non ſtatim poſtea ut ait ipſe, ſed poſt alias intermedias datur, ea vero eſt: *Auxilium gratiæ neceſſarium.* Ecquis credat hinc criminandi anſam præberi? ſane peſſimam technam, hic animadvertit Anonymus. Nam, inquit, ideo hæc nota conſequenter, & ſtatim (quod tamen falſum eſt) jacet poſt illam aliam, *Gratia aliis ex miſericordia, aliis ex veritate non datur*, ut notetur ſolam gratiam quæ ſufficiat, eſſe gratiam efficacem: & eamdem gratiam eſſe

prorſus neceſariam ad agendum. Verum ruit præclarus Abbatis commentarius. Neque enim hæc nota conſequenter poſt illam aliam ponitur, ut mentitur ipſe de more, ſed poſt duas alias intermedias ſita eſt. Locus vero per eam notam, *Auxiliū gratiæ neceſſarium* indicatus, talis eſt ut non potuerit aptius per aliam ſignificari: En ipſa Auguſtini verba. *Vitium niſi operante gratia ſanetur, ad juſtitiam nemo convertitur*. Quo quid aliud intelligitur, niſi auxilium gratiæ eſse neceſſarium ad vitium ſanandum, & ad converſionem?

Ad X. Argum.

SUB hæc gladium ſtringit Anonymus in duas notulas marginales; prior eſt de Gratia Chriſti cap. 13. *Qui per gratiam diſcit agit omnino, quid quid agendum didicit.* alter eſt ibidem cap. 14.

qui

Qui per gratiam didicit venit; qui non venit, non didicit. Primam vero ſentenriam multoties repetit Auguſtinus, ſecundam ipſis verbis habet; quæ loca ut ſolitis commentarijs, & calumnijs exagitat Anonymus, ita ſolitam adhibemus reſponſionem, ſi tamen reſponſione digna ſit, tam futilis objectio. An quid metuendum eſt catholicis à talibus Auguſtini dictis? an quid mali preferunt in margine, quod item non habeant in Auguſtini contextu? Verum opponit Abbas: Hic de gratia efficaci, quæ electis datur agitur, & illud indicatum in margine oportuit, nè qui legerint in errorem deducantur, rati Auguſtinum de Gratia in genere loqui. Quis ſine ſtomacho hæc abſurdiſſima Abbatis commenta ferre poſſit? O rem belliſſimam, ſi Benedictini in marginalibus notulis quæ indicii ſolum cauſa ponuntur, di-

ſtinctiones hujuſmodi, & voces nunquam ab Auguſtino memoratas identidem uſurpaſſent, & ſupradictas notas adornaſſent hoc pacto: *Qui per gratiam efficacem diſcit, agit omninò quid quid agendum didicit*, vel *Qui gratiam efficacem didicit venit, qui non venit, non didicit, quidem per gratiam efficacem, licet didicerit per gratiam ſufficientem*. quam bene de Republica Chriſtiana meruiſſent Benedictini, ſi ad margines operum D. Auguſtini definitiones & diſtinctiones innumeras *in rigore Logico* poſitas dediſſent, & curſum Theologiæ ſholaſticæ vel in marginibus Lectori obtuliſſent? Verum ait Abbas hic Lovanienſes notam marginalem Catholicam habeant ſcilicet *Electos quomodo Deus doceat*, & vos illa rejecta, duas alias dediſti, quo faveretis Janſenianis. Si quam vim haberet criminatio Abbatis, tota caderet

deret in Auguſtinum, nam illæ duæ notulæ marginales: *Qui per gratiam diſcit agit omnino quid quid agendum didicit*, & *qui per gratiam didicit venit, qui non venit non didicit.* ex ipſo Auguſtini contextu deſumptæ ſunt. quæ ratio notandi longè oportunior eſt, quando ſcilicet ex ipſis Authoris verbis petuntur notæ marginales. Jneptum porro, ac riſu dignum eſt, quod hic & aliàs ad nauſeam uſque repetit Abbas, ſcilicet officium fuiſſe Benedictinorum, ut Auguſtinum ab heterodoxorum noſtri ævi conatibus defenderent; nonne vanus labor, & ſupervacua diligentia eſſet ſuſpicionem Janſeniſmi ab Auguſtino dimovere? an eget defenſione gratiæ Doctor, & defenſor?

Ad XI. Argum.

IBIDEM autem ſolita fide jactitat multa eſſe Auguſtini loca quibus ſtatui valeat gratia cui reſiſtitur non indicata in margine à Benedictinis & quatuor tantum in medium adfert. Quam vana, & putida ſit hujuſmodi criminatio, non ſemel jam comprobatum eſt. Sed videamus quid rei ſit. Prior eſt de natura & gratia cap.67. *Cum ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem &c.* Qui locus eodem prorſus modo, à Lovanienſibus, & à Benedictinis notatur: taliſque eſt ut vix in utramvis partem aliquid ex piſcari poſſis, ut legenti patebit, nám longior eſt quam ut hic integer adferri debeat. Et criminationi de omiſſis quibuſdam notulis, jam ſatis ſuperque reſponſum

ſponſum eſt. Nota autem marginalis in hunc locum ſub initium capitis 67. jacet in utraque editione, taliſque eſt: *duobus modis ut morbi, ita & peccata caventur.* Quæ nota ut palam eſt, libertati multnm favet. Secundus eſt de peccat. meritis, cap. ult. *Nam ſi poſt Baptiſmum vixerit, atque ad ætatem capacem precepti pervenire potuerit &c.* Lovanienſis editio duas habet longiuſculas marginales notas, quæ à Benedictinis verbo ad verbum deſumtæ ſunt. Tertius lib. 2. de peccat. meritis & remiſs. cap. 3. *ſed hoc non vident quod ad nonnulla ſuperanda &c.* Adeſt nota marginalis quæ multum favet gratiæ cui reſiſtitur: nam in utraque editione Lovanienſi ſcilicet, & Benedictina legitur in margine: *Quomodo Deus nihil præcipit impoſibile.* Quartus petitus eſt ex narratione 12. in Pſal. 129.

& nullam ſive in Lovanienſi, ſive in Benedictina editione habet notam marginalem, quia ut ſupra dictum eſt in Commentarijs in Scripturam ſacram pauciſſimas edere ſolent utrique notas, nam putant ſatis indicii ex ipſis Scripturæ ſacræ verſiculis adſerri. Itaque vides egrægium Abbatem ad ingenium ſemper redire; ut mendatia opponat ubi non ſuppetunt, quæ opponantur legitimæ objectiones, & cæco impetu dum Benedictinos lædere, & traducere conatur, in Lovanienſes quoque fruſtra debacchari.

Jneptiſimum aliud ibidem obiicit, eſſe ſcilicet marginalem notulam prorſus Janſenianam ad cap. 69. de nat. & gra. nimirum. *Nihil impoſibile Deus præcipit, quia omnia facilia charitati.* quæ quidem ipſiſſima ſunt Auguſtini verba. Lovanienſes autem idipſum licet alijs verbis annotant

in

in margine, ſcilicet: *Deus nihil potuit impoſſibile præcipere. Charitas una levem facit ſarcinam Chriſti.* ex his autem & ex ſupradictis animadvertas velim, Benedictinos ſi quem ut Auguſtini adverſarium propulſare debeant, in Abbatem maxime ſtylum acuere debere. Accuſationes quippe mox allatæ in ipſum Auguſtinum cadunt. Nam ſi rei ſunt Benedictini quod paucas marginales notas dederint, ubi cum de gratia efficaci ſolum agatur, nomen gratiæ ſimpliciter, & ſine adjecto, ut jacet in Auguſtino, ponunt; quo pacto iuſons Auguſtinus erit, qui cum ſexcenties de virtute, & de potentia gratiæ agat, nunquam adfert diſtinctionem gratiæ efficacis, & ſufficientis? Si jure exagitantur Benedictini, quia breviſimas ſententias ex ipſo Auguſtini contextu deſumptas, indicij ſolum cauſa ponunt in mar-

margine, an crimine vacuus erit Augſtinus, qui hujuſmodi ſententias adfert, atque tuetur? Quid ad hæc Abbas egregius qui ſe *diſcipulum Doctoris gratiæ* mentitur eſſe? Annon videt ſi quid mali in his ſententiis habeatur, quod nefas eſt dicere, totum eſſe Auguſtino imputandum? Nam Benedictini officio funguntur, nec culpandi ſunt, cum ad marginem indicant quod in textu legitur; exempli gratia, ſi quis Tertulliani opera ederet, & ad locum ubi ille ſubſtantiam animæ haud ſatis Catholice definit ad marginem poneret: *Definitio animæ rationalis*, in cauſam ineptiſſime vocaretur, quod definitionem non orthodoxam indicaſſet. Nemo enim ignorat eos qui editiones parant ad mentem Authorum, non ad ſuam notas marginales dare: quanto magis indicari debent ſententiæ, ac definitiones Auguſtini, qui in rebus maxime gratiam

ſpe-

ſpectaotibus authoritatem præci-puam habet?

Aliud objcit vaniſſimum crimen quod unum Bedam petit: Nimirum in Præfatione ad tom. VII. ſec 6. prolixus Bedæ locus adfertur qui prçteriri non debuit, ubi inter alia Pelagianæ doctrinæ capita hoc etiam legitur: *Tandem quia nec impoſſibile aliquid potuit imperare qui juſtus eſt, nec damnaturus eſt hominem pro eo quod vitare non potuit qui pius eſt*. Quæritur autem Abbas, hanc inter virulentas & hæreticas Pelagianorum ſententias computatam fuiſſe, quam ipſe pugnat eſſe Catholicam. Hic ſane vir venerabilis Beda abſurde cauſam dicere cogitur. Nam ex præcedentibus, quæ ex Bèda ibidem afferuntur patet Pelagianorum ſententiam iſtam ut hæreticam explodi debere, quia poſſibilitatem bene agendi ex ſola natura, vel ex doctrina exteriori petebant, ut ibi-

dem

dem in loco Bedæ legitur, & ut ſexcentis in locis in hoc poſtremo tomo annotant Benedictini.

Ad XII. Argum.

VANINISSIMA item ſunt, atque falliſſima, quæ hic objicit & paſſim in libello ſuo repetit Abbas nimirum Benedictinos de libero arbitrio, ac de libertate nihil ad marginem ſignificaſſe, quod crimen iterum depellere non vacat per otium; Nam bene multas hac de re notas marginales ſuperius attulimus.

Verum hic perpendas quæſo in quantas abſurditates conjecerit Abbatem effrænis calumniandi libido obiicit enim Benedictinos ad locum Juliani lib. 6. operis imperfectis cap. 9. *Liberum arbitrium quod non eſt aliud quam poſſibilitas peccandi, & non peccandi*, ad marginem notare. *Liberum arbi-*

trium

trium quid ſecundum Julianum: & ad alium ejuſdem Juliani locum l. 1. num. 78. *Libertas arbitrii qua à Deo homo emancipatus eſt, in admittendi peccati, & abſtinendi a peccato poſſibilitate conſiſtit*, in margine legi: *Libertas in quo conſiſtat ſecundum Julianum*: & paulo poſt num. 82. in hæc verba. *Libertas igitur arbitrii poſſibilitas eſt admittendi, vel vitandi peccati*: in nota marginali haberi; *Libertatis arbitrii definitio à Juliano*. Quæ tibi tanta criminum inopia eſt, ut hæc objicias? etiamſi hæ Juliani definitiones Catholicæ eſſent, ut arbitraris, quid peccaſſent Benedictini monentes eas eſſe Juliani? multo magis debuit indicari eas non Auguſtini, ſed Juliani eſſe, quando & hæreticæ ſunt. & ut tales ab Auguſtino impugnantur. Quis enim Catholicus audeat dicere, penes ſolum liberum arbitrium eſſe poſſibilitatem agendi boni, cum de

de fide ſit,non poſſe agi niſi auxilio gratiæ? Ejuſdem farinæ eſt illud aliud quod objicitur ad marginalem notam in hæc verba Juliani operis imperfecti lib. 6. cap. 7. *Peccatum claret nihil eſſe aliud quam voluntatem appetentem quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*. Nam etſi bona definitio eſſet, quid mali fert nota marginalis, *Peccatum quid ſecundum Julianum*. Verum ut mala impugnatur ab Auguſtino, quia illud *liberum eſt abſtinere*, in ſententia Juliani ſic intelligitur, nimirum penes liberum arbitrium ſolum neque gratiâ adjutum eſſe abſtinere à malo. Perperam item exagitantur Benedictini, quod lib. 1. operis imperfecti cap. 47. hanc marginalem notam dederint: *Peccati definitio, ſed in Adamo ſpectati*. Ubi Auguſtinus hæc habet: *Ipse eſt Adam quem noſtra illa definitio, quæ tibi placuit intuebatur cum dicerem,*

pecca-

peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi quod Juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere. Quod habet Auguſtinus in hac clauſula, id legis in margine, quod ſi minime tibi placeat, res tibi ſit cum Auguſtino.

Pari fundamento nititur quod objicit Anonymus, Benedictinos ad marginem plerumque indicaſſe neceſſitatem peccandi, qualis tandem, qualiſque illa ſit, quam in homine eſſe niſi gratia divina adiuvetur memorat perſæpe Auguſtinus. Verum hæc ineptiſſima accuſatio ipſummet ſanctum Doctorem dumtaxat impetit, qui in locis innumeris de eadem peccandi neceſſitate agit: nam ridiculum prorſus eſſet Benedictinis vitio verti quod duo, treſve notas marginales dederint quibus memoratur illa peccandi neceſſitas, quando Auguſtinus de illa plerumque fuſiſſime agit. Sane ſimiles notas

sti-

itidem in Lovanienſi editione legis, ſcilicet: *Neceſſitas non pugnat cum voluntate* Et e re Catholicorum eſt ut hæc loca quærenti ope marginalium notarum. & Indicis facilius occurrant, ut ea adverſum hæreticos ad germanam,& Catholicam ſententiam accomodet. Et ſane ſi qua alia loca in Auguſtino habentur ad horum explicationem opportuna,pariter in Indice ſunt,ut v. g. ad pag. 161. habet Index, *nec ad virtutem, nec ad vitium neceſſitate trahimur quomodo?* & ad pag. 640. *concupiſcentia non habet neceſſitatem criminis*, alia multa ſimilia loca, tam in margine, quam in Indice poſita habentur, quorum nonnulla ſuperius attulimus.

Verum non eſt quod hujuſmodi notulis libertatem indicantibus elabantur Benedictini; nam ut omni prorſus defenſionis modo intercludantur, ait egregius *ille*

men-

mentium indagator, hæc poſita eſſe artificio quodam, ut ejuſmodi notæ marginales Lectoribus fucum faciant, & ſe paratum jactitat ad comprobandum in his etiam Benedictinos cum Janſeniſtis conſentire. Ita ut ſi notent Benedictini loca gratiæ faventia confeſtim vapulent; Si libertati, pariter exagitentur, neque ſat tutam rationem nanciſci poſſint declinandæ criminationis.

Ad XIII. Argum.

ALIUD demum objicit Abbas ille fucatus, nimirum, Analyſin clariſſimi Viri Arnaldi quæ Pariſiis prodiit anno 1644. Ubi in certa capita doctrina libri S. Auguſtini de Correptione & gratia diſtributa fuit, à Benedictinis denuo editam fuiſſe anno 1690. & poſtremo D. Auguſtini tomo inſertam. At qui res ſe habuerit brevi-

ter enarrabo. Aliquis ex Benedictinorum grege qui Auguſtini operibus edendis inſudabat, non conſcjis Superioribus, vel ſodalibus, completa poſtremi tomi editione illius Analyſios centum exemplaria cudi juſſit, ratus ſe poſſe ſine ullius offenſa libellum nunquam damnatum, ac nulla cenſura irretitum, imo cum approbatione editum prælo committere. Id ubi Superioribus renuntiatum eſt, confeſtim jubent illi auferri, ſupprimique hæc omnia exemplaria: Monachum vero qui ea cudenda tradiderat, tunc Subpriorem, munere abdicant: quia ſcilicet contra mentem Congregationis S. Mauri erat ut vel minimum partium ſtudium haberetur. Ille vero Monachus Vir pietate inſignis, faſſus ſe ſuopte conſilio id perpetraſſe, pœnam lubens ſubiit, & ſupprimi exemplaria pro viribus curavit qui etiamſi aliquid errati in eo

agen-

agendo admiſiſſet, iniquiſſimè ſane poſt datas pœnas in crimen iterum vocatur.

Quod autem jactitat Anonymus notas marginales poſtremi tomi editionis Benedictinæ cum Analyſi conſentire, cum jam probe confutatum fuerit, non eſt quod ulterius agitetur. Et ſane ſpero Lectori exploratum fore fucatum illum Abbatem Germanum ex alio quam æqui bonique ſtudio Epiſtolam ſuam publicam feciſſe, & in ſacrum Monachorum Cætum ſecus quam Virum Chriſtianum decebat maledicta conjeciſſe. Signa vero ferini in Benedictinos odii ipſe ſuppeditat, dum interminatur ſe in alia ejuſdem Congregationis opera libellos pariter editurum. Cum enim in Hieronymo, Hilario, & Athanaſiio vix aliquid de gratia & prædeſtinatione compareat, quid querelę ſuppetet Anonymo? qui conjectura poterit

etiam in illis Benedictinos in ſuſpicionem Janſeniſmi deducere? At non deerunt acutiſſimo homini quæ objiciat. Si nihil Janſeniſmi occurrat, alios errores deprehendet. Si Præfationes, Monita, & obſervationes omni ſuſpicione vacuæ ſint, aderunt ſemper marginales notæ in quibus hæreſes haud dubie reperiat: nam etiamſi in jis nihil vitii ſubeſſet, ut acutiſſime hominum mentes pervadit, facile comprobabit pravo conſilio & animo Benedictinos hujuſmodi notulas poſuiſſe. Ita ſcilicet agunt qui contra jus faſque lites movere curant, ac ex privato odio & livore alicui crimen offerre meditantur. Nihil enim ut initio dicebamus tam probum & innoxium eſt, quin livori pateat & maledictis,

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE DE LYON

Imprimatur.

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

Dominicus Beliſarius de Bellis Epiſc. Monſeten. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinus Ord. Prędicat. Sac. Apoſt. Pal. Mag.

Digitized by Google